

1730

1928 K 944

18.10.2

11

DE
DICENDI GENERE VERE POPVLARI QVO
ORATOREM CVI SIMVL DOCENDI CONSI-
LIVM SIT OPORETEAT VTI
COMMENTATIO TERTIA

QVAM

PRO LOCO INTER ADIVNCTOS
FACVLTATIS PHILOSOPHICAE
RITE TVENDO
P R A E S E S
AVGVSTVS BASILIUS MANITIVS

PHilos. DOCT. ET LL. AA. M

COLLOQVIO CVM ERVDITIS PUBLICO

A. D. III. OCT B.R. CI3 ID CCLXXXVIII
H. L. Q. CC

D E F E N D E T

S O C I O

IOANNE AVGVSTO ZEVNE
VITEMBERGENSI
PHilos. DOCT. ET LL. AA. M

VITEMBERGAE
LITERIS TZSCHIEDRICHII

1798

DIC DODOL GEMINIA E RERI TEGELEAS
DODOL GEMINIA E RERI TEGELEAS
SIT ORODOLNIR HAN
SIT ORODOLNIR HAN

TUG LOGO LITER ADIANOZ
EVH TITI B URODOLNIR
TUG LOGO LITER ADIANOZ

AGLATAS HYSILIS MANTIAS

YKES TOTAYA E HONAE

PARTIS POSTERIORIS

SECTIO II.

De dicendi genere populari vniuerso spectato.

§. 97.

Quum in commentatione altera, quo diuerso modo diuersae populari classes sint tractandae ab oratore populari, satis videatur expositum; in hac, quale sit illud dicendi genus, quod vniuerso conveniat populo, facilius poterit explicari. Qui igitur orator his obseruat, quid sit omnino populus, et qualis sit ille, ad quem sibi dicendum sit, cognoverit, facile et intueniet populare dicendi genus, et recte, h. e. accommodate ad ea, quibus suo opus populo est, adhibebit. Spectandam autem hic quoque esse et materiam, et tractationem, et elocutionem, ex §. 58. sequitur.

§. 98. *Materia*, in qua tractanda versatur orator, potest vel ex *historia*, vel ex *prudentia vitae communis*, vel ex *politica arte*, vel ex *morum doctrina*, vel ex *philosophia*, quae dicitur *speculativa*, deponi.

§. 99. *Ex historia*, vbi aliquid factum esse, aut simpliciter, esse, conteaditur, probatur, negatur, vbi facti, rei, naturae cuiusdam iustitia, virtus, conuenientia cum lege, utilitas, pulcritudo, probatur, laudatur, aut qualitates his contrariae vituperantur. Sunt harum rerum multae populo admodum graues, estque in his tractandis amplissimus locus copiae, figuris, vi orationes patescunt, et magna periuadendi, mouendi, placandi potestas concessa.

§. 100. *Prudentiae vitae communis* sunt, quae demonstrant, quo agendi modo, quorum hominum commercio, quibus laboribus fuscipendis, quibus rebus petendis, fugiendis maxima capiatur utilitas, quibus pluriima vitae commoda, et gaudia consequi possimus, quo

A

2

optimo modo mala his opposita bonis vitentur, et abigantur. Ea sunt maxime popularia, quippe ex ipsis populi rationibus petita, suntque ad mouendum, omnemque oratoriam tractationem aptissima v. §. 62. 63.

§. 101. *Ex arte politica* sunt quaedam, quae non nisi in liberis rebus publicis locum habent, veluti vbi de legum utilitate, pace, ac bello, omni reipublicae forma deliberatur; quaedam, quae omnibus reip. formis conuenient, ut quum harum rerum utilitas, damnumque probatur eo tantum consilio, ut his rebus contentus sit populus, aut eas abrogatas non doleat, aut quum principis facta, omneque imperium commendantur: in quibus multa insunt, quae moueant, quae possint exaggerari, amplificari, atque adeo oratoriae tractationi apta.

§. 102. Nec minus populi usibus inferiunt, captuque sunt accommodata, quae *ad morum doctrinam* pertinent, officia communia, et singularia exponunt, virtutem laudent, commendant, vitia reprehendunt, atque ab iis caueri iubent, quomodo illa facillime comparetur, haec vitentur, deponanturque monstrant. Gaudet enim et populus recti, prauique sensu, sunt quotidie in vita communi iudicia de actionum honestate, prauitatem ferenda, neque est, quod debeat, possit que magis extollit, et commendari, si a virtute, nec quod acerbius viuperandum, et dissudendum sit, si a vitiis discesseris, sceleribusque.

§. 103. *Ex philosophia speculativa* non nisi pauca ad populum pertinent, quorum usus, et vis est ad persuadendum animo de rebus gravissimis, ad eum regendum, consolandum, tranquillandum, quaeque ideo inde ducuntur. Nec ea omnia ad vniuersum populum, sed quaedam ad eius partem tantum pertinent. Talia sunt decreta de perfecta Dei natura, de animi immortalitate, argumenta pro religionis veritate: quae, quamquam in religione reuelata docentur; tamen proprie sunt notiones speculatiuae, reuelationis diuinæ auctoritate cum hominibus communicatae, confirmatae, et illustratae, nec practicis, quae dicuntur, argumentis possunt omnibus praesertim de populo hominibus demonstrari, quia omnes non vtuntur sensu virtutis bene acuto; et vbi his commendantur argumentis, tamen quoad notiones e philosophia speculativa petuntur.

§. 104. *Ex reliquis litterarum disciplinis, singularibusque artibus, et opificiis non videtur materia esse petenda oratori populari: nam saepissime talis materia omnis ab vniuersi populi cognitione, captuque est aliena, vt litterarum disciplinae; interdum quaedam solum disciplinae cuiusdam partes a singulis tantum hominibus capiuntur; quaedam saltem non nisi a singularibus classibus, vt artes, et opificia. Nec semper talis materia tractari oratorie potest sive ob capiendo difficultatem, sive ob materiac in rebus minutis sterilitatem, quarum altera est disciplinarum et artium, altera et quarundam disciplinarum, et opificiorum.*

¹ §. 105. Ea igitur materia, qualiscumque sit, *accommodeabitur populo* ab oratore populari, in quo respectus ad ea, quae §§. 19 - 50. de populo monita sunt, erit habendus. Primum igitur, qui velit docere populum, atque adducere ad alicuius rei persuasione, *parata populi scientia* statutur, necesse est.

§. 106. Igitur quae nouit populus, *in memoriam auditorum reuocabit*; ergo quae viderunt, conspicunt, experti sunt, didicerunt. In facto probando, afferenda erunt, quae ipsi ea de re viderint, audierint, quae ipsi de eius, qui quid fecerit, animo, moribusque cognoverint talia, vt hoc egisse, dixisse, omisisse credibile sit. Vbi de facto, re, natura quadam commendandis, vituperandisue agitur, minimis rogarunt auditores, quae ipsi de eius iustitia, virtute iam iudicauerint, quamnam ex iis perceperint utilitatem, quod experti sint dannum,

§. 107. In rebus ad prudentiam vitae communis pertinentibus monendi erunt, quas aut suas, aut aliorum actiones viderint bene procedentes, satisque amplos praebentes fructus, quos labores aut ipsi aestimant maximi, aut ab aliis aestimari, et remunerari sciant, quae convenire valetudini, ex quibus gaudia, tranquillitatem, hilaritatem fluere usus quotidianus doceat. In politicis rebus item ad ipsum auditorum usum, et experientiam pleraque possunt reuocari, quum scilicet minimis iubentur, quaenam ex eo, quo vtantur, statu ciuili redan-

det utilitas, quaenam ex principis, iustitia, prudentia, clementia, aut in ipsis, aut in alios collata sint commoda.

§. 108. Quae morum spectant praecepta, reduci possunt ad recti, prauique sensum, quo quisque vitetur, quemuis alius obtusiori, alius acutiori, ad metum, poenitentiam, pudorem, qui sint malefacti conscientiam fecuti, ad laetitiam quae benefacti, ad iudicia, quae de talibus aliorum actionibus ipsi ferant, ad eam, quam sequi talia saepius experti sint, bonorum hominum comprobationem, ad officii explendi impedimenta, quae ipsi in animi commotionibus, voluptatibus, bonarum rerum ignorantia inuenient, ad virtutis colendae praesidia, et adiumenta, quae, ut quedam tantum enumeremus, status mediocris, victus, omnisque vitae temperantia, rationis vigilans praebuerint.

§. 109. Speculatiuae philosophiae decreta, quamquam ipsa natura sua, ab vnu, atque experientia sunt remota; tamen et nituntur communibus cogitandi, sentiendi legibus, quibus, gnarus, ignarus, vitetur quisque, et ea, de quibus cum populo agitur, sunt tantae necessitatis, utilitatisque, ut ratio vel paullulum de rerum causis, et nexus cogitans ea saltem divinet, et sunt plerumque ad iudiciorum in vita communi occurrentium similitudinem composta. Nec discedunt ab ista communis cogitandi consuetudine practica illa, quae dicuntur, argumenta, quibus hodie potissimum talia praecepta firmantur, imo ducuntur ex ipsa animi natura, quam quisque in semetipso potest obseruare.

§. 110. In memoriam talia facili negotio reuocabuntur, si auditores concii sibi fuerint, se eadem expertos esse, eodem modo iudicare, dilucidius exponenda, et vberius explicanda erunt, vbi numquam clare, ac perspicue, se ita agere, aut hoc sentire, animaduertirint, placebuntque, et mouebunt eo fortius, quo magis cum animi humani natura, sensibus omnium conspirantibus congruunt.

§. 111. Pertinent quoque ad paratam populi scientiam, vimque habent cum modo dictis parem, quae didicit populus, veluti, haec, vel illa olim facta esse, has artes ita tractandas, huius virtutis has esse

partes, ita recte cogitari, et similia, quae si recte sunt docta, ita ipsi sunt probata, vt non minus, quam de rebus, quas ipse est expertus, persuasum habeat, possintque ea, vt certa in memoriā reuocari.

§. 112. Eius autem paratae populi scientiae varius oratori in populo docendo, mouendoque potest esse vſus. Nitetur ea, vt *fundamento*, ut *praemissis*, *vtetur illustrationum, exemplorumque loco*. Ut *fundamento*, cui superstruantur, quorum addendorum consilium est. Ita, si iam constat, quae sit singularium virtutum laus, qui honos, virtutis excellentia in vniuerſum spectata docebuntur. Si cognita fuerit iustitiae natura, quae ad eam formae, veluti abstinentia a furto, fraude, dolo, bona fides, pertineant, et quomodo ei studendum sit, poterit addi. Non nisi iam cognitis religionis elementis, de Deo, eius benignitate, sapientia, potentia, iustitia poterit de reverentia, fiducia, obsequio ei debitis exponi. Qui sciunt, in quo insit prosper reip. status, eamque vere hoc vti, iis facile de principiis hoc ex capite laudati meritis persuadebitur.

§. 113. Paratae porro populi scientiae, vt *praemissarum*, ex quibus colligantur, et probentur plura, erit vſus. In mundi ita constituti ordine, ac sapientia demonstrandis poterit provocari ad ea, quae ipsi sciunt auditores, v. c. de anni temporum viciſſitudinibus, et utilitate, de animalium ipsis cognitorum natura, h. e. viribus, instinctibus, facultatibus, corpore, et quae hic pertinent, quae et ipsorum, et hominum vſibus inferuant: quae singula sunt tot sapientiae specimina. Quum constet, quedam semper iuste egisse, etiam tum, quum magna ex iniustitia capere commoda posset, probable fit, cum in re dubia non aliter egisse. Ex iis, quae quisque fecit de artis suae difficultatibus, omnisque vitae suae rationibus, industriae, prudentiaeque argumenta fortissima, praecepta aptissima petentur.

§. 114. Nec minus apte *illustrationum, et exemplorum loco* parata populi scientia erit. Ita res inuisibilis, et subtiliores visibilibus, et crassioribus, rariores, et altiores communibus, et inferioribus illustrantur. Naturae inanimatae pulcritudo, et utilitas auditoribus cognitae

exemplum praebeant, sicutemque faciunt excellentiorum donorum a Summo Numine in vita perfectiore expediendorum. Cura patris familias illustrat curam a principe omni patriae, a Deo omni terrarum orbi dicatam. Labor, folleritia, fortitudo, constantia, quibus in virtute colenda, animoque veritatis cognitione imbuendo est opus, illustrantur ex iis, quibus in rebus corporeis, in artibus singulis tractandis, in difficultioribus rebus suscipiendis, bellis gerendis, et similibus vti solemus; gaudia, quae ex virtute culta, et veritate cognita percipiuntur, ex iis, quae ex corporis voluptate, rebusque ciuilibus, vel domesticis prospere gestis oriuntur, aeternae vitae gaudia ex iis, quae iam in hac vita veri cognitionem, virtutemque concomitantur. Cuiusmodi illustrationibus, et exemplis aut id spectatur, vt, illustrantia, et illustrata vnius esse generis, aut vt, quanto, et quomodo haec illis sint ampliora, altiora, praecellentiora, demonstretur.

§. 115. Ea vero parata populi scientia vtendum esse diximus, non in hac subsistendum. Utendum, vt, quae iam sint tradita, evadant clariora, fortius, citiusque ad agendum impellant, rectius, certiusque in agendo ducant, vtque adhuc docendorum adiuvent captum: in his enim, qui subsistere vellet, doctor male et officio, et populo suo consuleret. Populus iam ob institutionis, qua vtitur, sterilitatem, varia que ingenii expoliendi impedimenta ampliori institutione in primis eget, et, quum et cogitandi, cognoscendiisque vis exercita augeatur, vbi exercitium desit, minuatur: non potest non multo citius, longiusque regredi in veritate cognoscenda, quando docendo non exercetur.

§. 116. Neque subsistere in ea scientia conueniret cum docendi officio, quod non in notis, sed in incognitis tradendis versari, §. 71. monuimus. Nec quod aliena haec, vel illa dicantur a capta, cogitandique modo populari, ab officio docendi omnino liberat oratorem, sed aliud officium initigit, respectus scilicet ad haec impedimenta habendi: est enim ea popularis ingenii, quippe non satis exerciti, et exculti, indoles, vt res a sensuum voluptate, externisque commodis remotas aut omnino non videat, aut saltem sponte digna meditatione

non censeat, excitatum, et rei grauitate allectum, animaduertat, docto-
ris ope adiutum meditetur, et intelligat.

§. 117. Quod ut bene fieri possit, accommodanda porro erunt
ea, quorum docendorum consilium est, ad intelligentiam popularem.
Habitu igitur semper eorum, quae in populi intelligentiam cadere
§. 25 s. monitum est, ratione, ante omnia in nouis proponendis satis
perspicue docendum erit, ea ex cognitis sequi, h. e. aut cum cognitis
eiusdem esse generis, vt quae de cognitis valeant, et de nouis, veluti
habere eamdem virtus naturam, idem pretium, aequa petenda, fu-
gienda esse; aut cum iis esse nexa, vt causam cum effectu, rationem
cum consequente. Ita, quin omnes homines in sensibus incundis
felicitatem ponant, poterunt doceri, ex virtute, veritatis cognitione,
et similibus sensus oriri non minus incudos iis, qui corporis volupta-
te percepta, diuinitus, honore, et aliis eiusdem generis rebus excitantur.
Quum quiuis durabilia, ac nobiliora fragilibus, et vilibus antepo-
nenda sciat; animi bona cum rebus externis comparata, his prius,
studiosiusque esse petenda docebitur. Quicumque multa sapientiae in
hoc mundo conspicit documenta, eius auctorem sapientem esse, faci-
le intelliget. Qui verae studeat laudi, eum ob hanc ipsam cupidita-
tem et virtutis studere oportere, sequetur.

§. 118. In quo negotio omni, quin ea plerumque sit populi
leuitas, atque subtiliter cogitandi imperitia, vt quamvis singula non
male cognoscatur, ea tamen aut omnino non, aut non nisi obiter, le-
viterque colligat, comparetque, atque adeo res eiusdem generis alio
tempore magni aestimet, et petat, alio vilipendat, neque in viuersum
sibi constet; id potissimum spectandum est, vt, quam inesse in rebus
similitudinem, dissimilitudinem, disjunctionem, vel coniunctionem
simus demonstraturi, hae sint eiusmodi, vt mox possint deprehendi, nec
longis demonstrationum ambagibus egeant, quas aut non capit, aut
non patitur populus, atque vt summum in illis perspicue exponendis
versetur studium. Quo pertinet, vt falsa similitudinis, dissimilitudi-
nis, repugnantiae, vel conuenientiae species diligenter remoueatur.
Talis est, quum virtus, et cognitio tantummodo a molestia, et labore,

quibuscum iis studendum est, non a vera honestate, varioque vsu, vita tantummodo a commodis, quae praebent, praesentibus, variaque voluptate, non a turpitudine, grauibusque dannis, quae ea sequuntur, spectari solent.

§. 119. Ratio porro in iis, quae intelligi a populo velimus, proponendis *cogitandi*, sentiendique modi popularis est habenda, de qua inox vberius agetur. Tertio loco ea sunt spectanda, *quorum, si offeruntur, cognoscendorum facultas est populo.* Quales cum sint potissimum res in sensu eadentes, et quarum est vsus quotidianus; omnia, quantum fieri poterit, ad sensu auditorum, experientiamque erunt reuocanda. Quo siet, vt recte intelligent, de quibus, quamvis ea sint experiti, nondum cogitauerant, aut si cogitauerint, vt iis vti discant, ad ea, quae nondum intellexerant, et illustranda, et probanda: cuius rei exempla §§. 106 sqq. proposita sunt.

§. 120. Neque vero obliuiscendum est, hancce cognoscendi facultatem variis temporibus variari. Aucta enim populi cognitione, moribus, rebus externis, rationibus, quae inter singulos ciues, et inter populum vniuersum, atque exteroros intercedunt, temporum omnino vicissitudinibus mutatis, oritur et facultas, et desiderium cognoscendi, quae seire olim illius non intererat. Ita alia morum doctrinae capita, quam quae olim, veluti de obedientia principibus, et magistratis debita, de iussiis magistratum potentiae finibus, ob varia nouantium molimina etiam a populo sub examen vocantur, de quibus quum nulla esset contentio, nec potuit omni tempore tale in ea inquirendi esse incitamentum, nec tanta argumentorum probantium, et impugnantium populo obuersari copia, nec intelligentia tam facilis esse. Eodem modo, eademque de causa in veritatem variorum religionis decretorum, religionisque ipsius inquirit, et, quae ad examen rite insituendum valent, ex parte saltem capit, quamvis sint subtiliora, quod publice, et lingua vernacula de his disputatur, nec in libris doctrinorum solum, sed et in conuiuis, commercioque quotidiano omni; quum contra alia theologiae capita, de quibus multae olim lites cum popu-

populo communicabantur, obliuioni sint tradita, neque adeo amplius populi captui accommodata.

§. 121. Ex his 31-41. sequitur, et cogitandi, sentiendique modo, quo populus utatur peculiari, materiam, quam tractet orator popularis, esse accommodandam. Prima igitur lex erit, ut orator, cui populum docendi sit consilium, ab iis iudiciis, praemissisque ordiatur, quorum veritatein populus agnoscat. Supra monitum est, populum vti notionibus rerum plerunque imperfectis, iudicare ex sensibus, atque adeo e specie externa, e sensu communi. Quare, qui vellet populum ducere, eique persuadere, male ab iis notionum partibus, quas noncum cognoscit populus, aut ab iis rerum qualitatibus, quae aut non cadunt in sensus, aut quae speciei externae, sensusque communis iudicio plane videntur contrariae, ordiretur. Ita, praeferim qui habet auditores paullulum rudiiores ab iis, in quibus diuini Numinis cum hominum sapientia, virtute, potentia, et talibus compa- ratio locum habe, docendi ante initium faciet, quam ad ea, quae sunt perfectionis sensu subtiliori spectatae, proponenda procedat. Qui, quod sit aequitatis a iustitia, benignitatis a sapientia, imbecillitatis a malitia discrimen, iis exponere vult, qui haec diuersa rerum genera inter se confundere solent, fundamenti loco ponet ea, quae sunt utrisque communia. Vbi rebus, quas ex specie externa iudicat populus, vtendum erit ad docendum, probandumue, non poterunt eae illarum qualitates primo loco tractari, quas aut non cognoscit populus, aut, specie externa deceptus, negat, sed, aut, vbi id fieri potest, specie sola vtendum, aut, vbi necesse erit, a specie caute ad interiorem naturam progrediendum. Sic de voluptatis suauitate, de commodis ex diuitiis oriundiis cuiuis persuasum est; de molestia, et dolore et illam, et has interdum sequentibus, non item. Ergo a sua- uitate, et commodis initio factio, quanto maiora commoda, et suauitas ex virtute sint expectanda, aut, quam facile voluptates, diuitiaeque abusu, et prauo studio in molestiam abeant, atque dolorem, pot- erit ostendi.

§. 122. Ista iudicia, ac praemissae e sensu potissimum communis, quatenus recte iudicat, videntur esse petenda: maxima enim potest

auctoritate; nec sine magna apud populum inuidia offenditur ideo, quod est communis. Ergo in religionis, morumque doctrina, Deum esse, eumque a mundo diuersum, esse libertatem bene, seu male agendi homini concessam, intercedere verum, magnumque inter virtutem, vitiumque discrimen, ut concessum, quo ad plura docenda, probandaque vti licet, sumi potest. Quum sensus communis in primis ex usu, et experientia iudicet, huc quoque multa pertinent, quae §. 106-109 et 118. ea de re sunt monita.

§. 123. Tum magna quoque cautio in tractandis *opinionibus praeiudicatis, et erroneis*, quarum in cogitandi modo populari rationem esse habendam, ostensum est, erit adhibenda. Et praeiudicatae quidam opiniones, quatenus sunt verae, aut simpliciter poterunt adhiberi, aequae ac sensus communis iudicia, ad amplificandam populi scientiam, aut argumentis additis firmari, si sint, quae capiat populus; quatenus sunt erroneae, eodem cum erroribus modo tractabuntur.

§. 124. His autem non semper, ac statim prudenter, et cum successu contradici posse, partim ex antedictis, partim ex re ipsa apparet. Quo enim populus est rudior, hoc est, quo magis ingenii acuminis, et exercitio desitutus, atque subtiliter cogitandi imperitus, eo firmius opiniones, atque errores, quos semel amplexus est, tenet.

§. 125. His sine omnibus ambigibus non contradicit nisi est doctor, cuius iam satis magna apud auditores sit auctoritas, quae non sine insigni doctrinae, sapientiae, integritatisque fama, sat multis specimenibus probata, conciliatur. At vero, vbi quis hac nondum fruatur auctoritate, ibi cautione est opus, ad quam commendandam accedunt haud raro duo argumenta: quod nempe errorum falsitas his auditoribus nondum potest demonstrari, aut quod periculum est, ne multa simul vera, ac bona euulsum, abiectumque eant.

§. 126. Non potest errorum falsitas demonstrari, vel ob auditorum contradictionis impatientium pertinaciam, vel quia res ipsa est subtilior, nec nisi ex mere speculatiis pendet argumentis, vel quia sine acutiori quodam virtutis, et elegantiae sensu, quo carent adhuc au-

II

ditores, iudicari de iis non potest, vel quia tranquilliori examine, atque acutiori, et obseruatione patientiori opus est, quam pro consuetudine auditorum, et facultate. Primi generis errores exemplis non egent: sunt enim singulis locis, coetibus, hominibus diversi. Secundi sunt generis superstitiones fere omnes, quae opinionibus falsis de spirituum natura, viribus, in res corporeas agendi facultate nituntur: quae non possunt recte refelli, nisi aut qualis vere spirituum sit natura, aut cur non possint viam suam in mundum corporeum exserere, aut cur omnino nihil de iis statui possit, philosophicis argumentis sit demonstratum. Quorum argumentorum priora pene numquam, posteriora saltu non semper, et ubique populus capit. Neque plane idem efficietur, si ad singula facta examinanda velit descendere, ita enim de uno tantum facto, aut de pluribus, non de vniuersa re iudicabitur.

202 §. 127. E genere tertio sunt ii errores religionis veritatem, necessitatemque, animi immortalitatem, et singula hominum officia attingentes, qui optime ex acriori virtutis sensu reprobantur, quo quum multitudo non vtatur satis acuto, excitetur ille, et acutatur ante, quam ad hoc errores redargendos veniri possit, necesse est. Ad quartum genus referimus doctrinae, doctrinique apparatus contemptum, quem vanum esse vt cognoscatur, opus est saepius ac sine omni partium studio obseruetur, quanto melius haec, vel illae res a doctrinis, quam ab indoctis, cognoscantur, et gerantur. Huius omnino generis sunt, quae de prodigiis, portentis, spectris, et talibus compluribus statuantur, quae falsa esse non cognoscitur, nisi diligenter, et tranquille facilius obseruatim examinatumque sit, quibus ex caussis vere orientur, quae videntur prodigiosa, cur non possint cohaerere cum iis, quibus putantur nexa, et, quae huc faciunt, alia.

§. 128. Sunt etiam errores, in quibus aggrediendis periculum est, ne multa simil vera, ac bona euellantur. Est enim populi, praesertim rudioris, ea indeles, idque ingenium, vt, si qua notionis eiusdem pars falsitatis sit conuicta, omnem notionem puter esse abiiciendam, si decreti per se veri argumenta quaedam sunt reprobata, et decretum

ipsum putet reprobatum. Ita fieri apud quosdam auditores potest, vt, miraculosi auxiliū diuini sperati vanitate demonstrata, omnē sibi eius auxiliū spem iudicent esse erētam, aut si iram, vindictae cupiditatem, misericordiam, consilii mutationem, proprie, non tropice intellectas, in Deum cadere negatum sit, et in vniuersum de Numinis iustitia, benignitate, respectu ad hominum mentem, et facta dubitent; vt cum antiquis erroribus et veritatem antiquam reiiciant, superstitionibus, et erroribus, quos circa religionem fouent, reprobatis, omnem religionem repudient, vel si virtutem lucri, mercedisque cupiditate colendam negetur, omni virtuti obsequium recusent.

§. 129. Talibus igitur erroribus *parcendum erit* a doctore prudenti. Neque tamen id ita intellectum volumus, quasi recte possint probari a doctore, atque foueri. Probantur, si palam, et differtis verbis assensus iis praebetur; fouentur, si argumenta speciosa, quibus videntur firmari, ac defendi, subiiciuntur, si saepius prouocatur ad eos errores, tamquam ad aliorum decretorum argumenta stabilia, et praecipua, si saepius in memoriam reuocantur. Id vero fieri, nisi doctoris munere, ac dignitate laesis, non potest. Doctoris enim est vera docere, h. e. ea, de quibus ipsi persuadetur: alia enim, praeter suam ipsius persuasionem, veritatis norma nemo vititur. Qui vero ea, de qua diximus, ratione, errores fouet, is veritati cognoscendae struit impedimenta, et erroribus auctoritate sua muniendis, et eo ipso, quod in memoriam eos reuocat: quibuscum enim opinionibus animus humanus saepius cogitando familiaritatem quandam contraxit, eas tandem iam propter hanc ipsam pro veris habet.

§. 130. Nihil igitur restat doctori nisi vt *taceat* aut de omni materia, circa quam erratur, si scilicet illa, omissa errorum mentione, non potest tractari, aut, vbi potest, de erroribus tantum, si possint ferri, h. e. si versentur non nisi in rebus subtilioribus, atque a captu, et vsu populi alienis, aut non habeant vim ad virtutem colendam, veramque animi humani felicitatem. In leuioribus tantum erroribus licebit nulla addita comprobacione monere, eum, qui hoc, vel illud statuat, et id, de quo sermo fit, vel concedere, vel negare eportere.

§. 131. Eo vero silentio omne doctoris officium non absoluatur: illis enim obstaculis officium erroris impugnandi impeditur, non tollitur, imo nouum officium impedimentorum istorum tollendorum inungitur, quod optime fiet *clam subuertendis*, et *quasi eminus impugnandis erroribus refellendisque*. Id quidem fit, quin in errores non directe, aut nominatim inauditur; sed vera erroribus contraria docentur, illustrantur, et familiaria quasi auditoribus redduntur, vt quum simpliciter docetur, quid ad perfectionis notionem pertineat, ab eo omnis imbecillitas, omnesque limites remouentur, nondum nominatis iis imbecillitatibus generibus, quae ab auditoribus naturae tribuuntur perfectissimae; aut quum in viuēsum monstratur, quanto sit homo, Christianus, bene moratus omni superstitione, et formidine a rebus inanimatis, naturisue incognitis maior; quoniam saepius vrgetur, quantum virtus deceat hominem, quanta per se iam sit eius colenda obligatio, et quae sunt similia.

§. 132. In quo id etiam est spectandum, vt simul subiiciantur argumenta decretorum, officiorumque meliora iis, quae subuertuntur, e. c. moneatur faepius, ac probetur, quantum in sanctitate perfectissimae naturae virtutis exercendae insit incitamentum, quid exspectandum scelpto a iustitia diuina, quare naturam perfectissimam etiam benignissimam esse oporteat, vt, erroribus illis, qui ex imbecillitate humana ad diuinum numen transferenda oriuntur, tandem eversis, adsint firmiora virtutis, solatii, tranquillitatis adminicula. Ita enim slabit virtutis exercendae obligatio, etiamsi a vindictae cupiditate tributa perfectio diuina sit vindicata; slabit solatum, et tranquillitas, quamvis, misericordiam proprie intellectam in Deum cadere, negetur.

§. 133. Ita munita veritati via tempus tandem est *errorum aperte reuiciendorum*, vt omne veritatis plane, et clare cognoscendae obseculum remoueat: quod et omnino doctoris officio conuenit, et ita praeparatis animis sine damno fieri potest, et congruum est omnino humanae mentis viribus, et cognitioni continuo exercitio, et institutione in dies crescentibus.

§. 134. Tandem in materia populariter tractanda, et ea, quibus mouetur populus, sunt spectanda, quae, qualia sunt, §. 42 - 51. expostum est.

§. 135. His recte, et iure suo vietetur orator, vbi e re erit, et cum dignitate fieri poterit. Vbi caput rei in docendo versatur, et quantum docetur, his minus locus erit: ibi enim id unum agitur, ut res propositae bene capiantur, et cum cognitis comparentur, iunganturque; in quo ratio sola occupatur, nec facile, quod moueat, inest. Sed est mouendi locus, vbi accusatur, defenditur, laudatur, commendatur, agendum quid proponitur, suadetur, dissuadetur: in quibus omnis quaefatio eoredit, virum sit aliquid vtile, an noxiū, voluntatem, an dolorem gignat, expletat animi appetitus, an frusret. In tali re vti iis, quibus moueri auditores possint, prudentis omnino hominis est, atque omnino oratori, cuius non modo consilium, sed et virtutem, ac sollertia in eo inesse, vt moueat, ex partis prioris Sect. III. appareat. Sed dedecet et oratorem, et doctorem, cupiditates, et animi motus cire, et probare ignobiles, veluti iniuriam, vindictae cupiditatem, vani honoris studium, aut viliora bona excellentioribus aequiparare, aut anteponere; in quod vitium incident, qui aut vilioribus bonis solis propositis mouere volunt ad virtutem colendam, aut iis idem, quod excellentioribus, tribuunt pondus, quod et veritati repugnat, quam proponere oportet doctorem, et virtuti, cuius colendas omnibus hominibus impositum officium est.

§. 136. His autem, quae mouent, duplice orator modo vietur, primum, vt ex iis afferat, quae profint confilio suo, dein, vt, quae ex iis struantur impedimenta, tollat. *Affert, quae profint, demonstrando, quae dicat, coniuncta cum iis esse, quae mouent populum, h. e. afferre, conseruare, augere ea, quae placent, et petuntur, aut ea, quae displacent, et fugiuntur, vel remouere, vel adducere:* quarum rerum duo priora genera comprobacionem, studiumque mouent, postremum odium, et auersationem. Tali modo bonus princeps omnibus commendabitur monendo, quanta eius iustitia, vigilancia fortitudine concessa sit omnibus securitas, et opportunitas parandi sibi

divitias, honores, vitae commoditates, et fruendi acquisitis. Temperantia petenda videbitur, quum monstratum fuerit, quantum valeat ad bonam valetudinem seruandam, firmandam, recuperandam; virtutis studium, quum intellectum fuerit, eo multa vitari, quae iram, inuidiam, nocendi nobis cupiditatem apud alios moueant. Dissuadebitur vitium probando, id, siue citius, siue tardius, in morbum, contemptum, poenam, miseriam verti.

§. 137. Interdum id potissimum spectandum erit, vt, quae ex huius, vel illius rei studio, odiove oriuntur consilii exsequendi impedimenta, tollantur. Quod fieri docendo, aut ea, de quibus sit ferme, isto studio non obesse, aut, quae petantur, odiove habeantur, isto studio, odiove esse indigna, aut animi motibus, sensibusque ignobilioribus in nobiliores mutandis. Ita certo religioni, virtutique sectatores conciliabit orator probans, eas cum hilaritate, honoris, divitiarum studio bene conuenire. Lubentius officio satisfacient cives, quibus, onera, ac tributa a ciuitate ipsis imposita, vere suos in usus conueriti, persuasum fuerit.

§. 138. Studio sunt indigna, quae aut nequaquam, aut minima ex parte praebent, quod petitur, aut, quo minus excellentiora petantur, et acquirantur, impediunt. Sic vani honores nequaquam verum decus conciliant. Voluptatum captandarum intemperantia saepe maiori ex parte fatigatorem, taedium, morbos, dolores ciet. Insatiabilis voluptatum, divitiarum, et talium cupiditas ab animo excolendo, virtuteque exercenda abducit. Odio, et auersatione sunt indigna, quae proprie non sunt turpia, nec nocent, aut adeo sunt vere honesta, et utilia. Multi enim, vi hoc exemplo vtar, quibus demonstratum fuerit, ignoscere inimico, nec, quamvis minati simus, vindictam exercere, non esse turpe, ad placibilitatis officium, quod turpitudinis opinione seducti, auersabantur, redibunt. Laboriosi multi euident, quum probari ipsis potuerit, nullum laborem esse turpem, qui ad vitam sustentandam sit necessarius, nec in viis, sceleribusque vel exercendis, vel iuandis versetur.

§. 139. Animi commotiones, sensusque ignobiliores in nobiliores commutantur monstrando, quid, seu quoad rem, et personam,

in qua versentur, seu quoad modum, quo exserantur, in iis turpe insit, quid cum virtute conueniat, et quomodo. Ita inuidia reprobatitur; sed recte in virtutis, veraeque laudis acmulationem convertitur. Odium singulorum hominum taxatur; sed vitorum commendatur.

§. 140. Eius materiae ita ad populi usus accommodatae quae tractatio conueniat oratori, cui populum docendi consilium sit, iam erit exponentium, respectu ad ea habito, quae §. 58-60. de tractationis notione monuimus.

§. 141. Tractationem iustum, ac seueriorem populo conuenire, sunt qui negent, nec tantopere argumentorum delectum, nec copiam, nec ordinem curandos esse censem, quod populus argumentorum plurorumque vim vix capiat, orationum longiorum sit impatiens, atque a iusto cogitandi ordine alienus. Quod mihi quidem fecus videtur: quodsi enim nullorum argumentorum vim caperet, omnis oratio superflua foret, si capit quorundam, haec eo accuratius diligenda sunt, atque tractanda; si per se non sequitur iustum in cogitando ordinem, inde nondum efficitur, eo rerum nec intelligentiam, nec memoriam adiuuari, imo, si est iustus, h. e. aptus animi humani naturae, non potest non magnam utilitatem afferre.

§. 142. Argumenta subtiliora, et quae dicuntur speculativa, non capi a populo, ex iis, quae de eius captu, et intelligentia dicta sunt, facile colligitur. Ceterum et ea vitanda, quae speciem quidem veri habent, multisque de populo hominibus ad persuadendum sufficiunt, sed curatius examinata non probant id, cuius causa afferuntur. Eiusmodi est illud, quod pro Christianae religionis veritate ex lectorum multitudine, et incredibili pene propagationis celeritate ducitur argumentum, si scilicet plus probandi eo argumento consilium est, quam omnino fuisse in Christiana religione multa, quae eius temporis hominibus commendarentur. Nec aliter res habet, quum ex vnu, quem alicuius rei facimus, simpliciter probatur, hunc vnum esse finem, cui creata sit, ac destinata; aut quum, quia aliquid sit tale, quia hoc factum sit, et ita, aliud esse, aliud fieri, et alio modo potuisse, negatur. Quae possunt quidem specie exornari, multisque persuadere;

fed

sed ita proposita, aut non omnino, aut nihil probant. Talibus abstinentendum est, et ne firmioribus argumentis tempus, locusque praeripiatur, et quod omnino infra doctoris dignitatem est, speciosa pro veris tradere, et quod eorum, quae doctos interdum decipiunt, defectus haud raro ab acutioribus hominum de populo ingeniis deteguntur, ac, nisi intelliguntur, saltane sentiuntur. Eorum vero argumentorum, quae vere sufficient, capique a populo posunt, vis probandi, omni ambage, subtilitateque omisis, bene notanda est, atque omnia dilucide exponenda.

§. 143. Nec *copia* in omni materia, et potissimum argumentis populo exponentidis, firmandisque videtur esse negligenda. Quamquam enim populum orationem longiorum esse impatientiorem concedendum est; tamen si patiens non sit audiendi, quantum ad rem pertineat, orationibus ad eum habendis omnino non est locus. Neque vero omnem omnino breuitatem, sed nimiam, quae sola copiae est opposita, reprehendimus. Et *nimiam* quidem *breuitatem* dicimus eam, quae per festinationem, aut omittit argumenta ad rem probandam necessaria, h. e. sine quibus res ipsa non probatur, et quae allata sunt, argumenta vi probandi sufficiente carent; aut eam, quae non satis illustrat ea, quibus vititur, argumenta, h. e. non enucleat notiones, in quibus caput probationis inest, non vititur exemplis, tropis, ac figuris, et omnem materiam reliquit obscuriorem, partibus rei tractandae non satis explicatis. Prioris generis breuitate nimia laborat illud pro Christianae religionis veritate argumentum, cuius si anteced. facta est mentio, et cuius magna vis non est, nisi etiam persuadeatur fuisse satis graues rationes, propter quas tot diversarum gentium homines Christianae religioni nomina darent; sed hoc probato maximi est momenti et ab alterius generis breuitate eo magis est caudendum, quod rerum cognitarum non semper satis distinctae, perfectaque populo sunt notiones, nec populus facile argumentorum vim nullo monente sentit.

§. 144. Est itaque et oratori populari *copiae iustae* habenda ratio. Agitur hoc loco de ea, quam §. 67. copiam rerum diximus, quae ver-

C

satur in argumentis, omnique materia ita tractandis, ut placeatur populo, persuadeaturque facilius. Inest in eo, ut materiae partes dilucide exponantur, et illustrentur, ut tot adhuc argumenta, quot ad probandum sunt opus, sintque, ubi cum auditoribus res est cognitione, animique facultatibus, et cultura inter se diuersis, tot, ac talia argumenta, ut quaevis classis unum saltem inueniat, quod sibi sit aptum, sufficiatque: alia enim a cultioribus capiuntur, probanturque, alia a rudioribus, et inferioribus. His magis vitae futurae excellentia commendatur spe data, ipsos aliquando vitae molestiis, aemnisque fiberos fore, illis, ipsos cognitione, virtutis exercendae facultate, pura felicitate auctum iri. Sunt vero et ea argumenta non minus, ac materia, illustranda, quod optime sit exemplis, et in universum omni re ad sensus, et experientiam reuocanda.

§. 145. Et ea quidem iusta copia cum vera breuitate non pugnat, sed conuenit. Longe alia est diffusa illa, et prodiga, quae huic locum non relinquunt. Talis est, ubi tractatione plus absuntur temporis, quam in animo attendendo perseverare populus potest, ubi in materia tam ampla, et spatiose versatur orator, ut eam perspicere populus nequeat, aut cuius partes minus necessarias tam prolixè explicat, ut eae in unum colligi ab imperitoribus vix possint, ubi tot afferuntur argumenta, ut eorum examinandorum nec virium satis, nec otii populo restet, tot exempla, ut tandem eorum ad rem illustrandam referendorum tædeat. Quam obesse oratoris consilio quis non videt?

§. 146. Ea optime vitabitur singulis tantum universalis materiae partibus, ubi, et quantum fieri poterit, tractandis. Id fieri potest, ubi aut genus rei iam satis cognitum est, aut ubi singulæ partes magis sunt obviae, atque notae, consiliumque est a singularibus passim ad universalia progrediendi, sicut ita, ut aut generis forma, aut formæ pars, aut totius pars tractetur. Veluti, ut de felicitate coniugali agatur, opus non est antea exponi, quid sit in universum felicitas. Ex singulis virtutibus cognitis, quid in universum sit virtus, bene potest deriuari. Temperantia quippe genus, cui plures virtutes subsum, vix una tractatione sine breuitate nimia, aut molesta copia absoluetur, sed

temperantiae formae, sobrietas, continentia ab ira. Maiori cum fru-
cta tractabitur huius formae pars, ut continentia ab ira in homines
miseros, rudes, inferiores. Satius erit, et vilius non vniuerfam
quamdam naturam, sed singulas eius qualitates, aut qualitatum singu-
larum partes, modosue, quibus exserantur. peculiares exponere, ut
non de vniuerso homine, sed de sensu recti, et praui, quo sit im-
butus, agatur, aut de conscientia bene, aut male factorum, aut de
pudore, poenitentia, tranquillitate inde oriundis.

§. 147. *Nec iusto in dicendo ordine* videtur recte carere oratio popu-
laris. Iustum hic non dicimus subtiliorem illum, qui recte in libris
philosophicis, et omnino de quauis litterarum disciplina subtiliter di-
sputantibus, locum habet, ac dialeicticas ubique prae se fert diuisiones,
et subdivisioes, qui populum huic subtilitati non assuetum deterret po-
tius, et argutiarum specie turbat, neque omnino est orationis, quae
magis ad sermonis quotidiani, quam ad scholasticae disceptationis
formam debet esse composita: neque enim ea subtilitas caput est, ora-
tionis; sed suadere, dissuadere, commendare, vituperare, cohortari,
quae omnia sunt animi paullum commotionis, atque adeo ab illa
alieni. Sed iustum naturalem illum ordinem appellamus, qui nec ipse
cum dialeicticis praecepsit pugnare debet (sunt enim ea ex humanae
mentis natura derivata) cerniturque in eo, ut non ex arbitrio, sed
ex rei natura partitio fiat, et in ipsa tractatione, quaevis suo loco pro-
ferantur, iungenda neciantur, et differentia inter causas, et effectus,
rationes, et ea, que inde sequantur, constanter retineantur.

§. 148. Est tandem, vii materiae, tractationisque, ita *elocutionis*
popularitas quedam, quae in quo cernatur, breuiter adhuc enarrandum
est. Elocutio vniuerfa, in quo insit, §. 59. expositum est. Quum
omne oratoris consilium in persuadendo, et mouendo versetur, neque
vero persuadeat oratio, quae non capit, nec moueat, quae non
placet; quamnam populus capiat elocutionem, quae ipsi placeat, iam
disquiramus.

§. 149. *Capit* populus verba, et constructiones, quibus ipse vti-
tur, quibus aequales, et alii, quibuscum commercium ipsi est, in isto

commercio vtuntur: ergo verba, et constructiones sermonis quotidiani, quae singulare cuiusque de populo vitae genus, et vniuersas populi classium rationes attingunt. Intelligit quoque ea, quae altiori loco positi, et docti, usurpant in eo, quod ipsis cum populo intercedit, commercio, quod plerumque emptionem, ac venditionem, opera, et labores, aut clientelam spectat; licet iis populus ipse non vitatur. Capit et ea, quorum sensus per institutionem est traditus, atque sufficienter explicatus, et subinde in memoriam reuocatus. Capit interdum etiam incognita verba, et constructiones per orationis nexum, per dicentis vultum, gestumque. Monendum denique est, vt quae sit infima populi classis, ita sermone eam vt maxime vito, vitiissimumque optime intelligere, sermonem cultioribus de populo hominibus ubique communem vix capere, sed tantum suae regionis, locisque proprium, et peculiarem.

§. 150. Oratoris igitur erit plane abstinere iis verbis, et constructionibus, quae populus nequaquam capit: quae in diuersis regionibus, coetibusque sunt diversa. At vero omnibus ea sunt vitanda, quae nonnisi in doctorum hominum libris, quaestionibusque subtilioribus, et philosophicis usurpantur, et ea potissimum, quae abstracta in scholis vocantur. Talia sunt vernacula illa: *Folgerung, folgern, Gedankenreihe*, multa eius linguae verba composita, multa, quae in heit finiunt ut *Thierheit, Rohheit*: pro quibus aut concretis vtendum, aut iis, quae rem magis ad sensus, experientiamque reuocant, et singulibus enumerandis ad vniuersalia ducunt, veluti quem loco vocabuli Germanici: *Similitheit*, sensuum diuersorum imperium, cupiditatesque inde oriundae enarrantur. Vbi autem talibus, ne eadem semper repetantur, vtendum est, semel saltem explicatio adiicienda, aut faepius, aut ita cum ceteris sunt necienda, vt, qui subsit sensus, facilius appareat. Neque enim talia ab omnibus altiori loco positarum populi classium hominibus intelligentur, neque sunt facile coetus, in quibus non sunt rudiores, cultioresque mixti.

§. 151. Neque tamen, vel vbi ex inferioribus tantum populi clasibus coetus sunt compositi, facile indulgendum est oratori, vt sermo-

ne vtatur plebeio, et vitioso, quod vix vñquam necessitate poterit excusari. Nam quod haec classes ipsae non vtuntur sermone rectiori, et elegantiori, id quo minus multa eo sermone enunciata intelligantur, non impedit, quod e §. 149. apparet. Quae autem adeo sunt plebeia, vt sermone paullulum cultiore enunciari nequeant, de iis orator ad populum, non ad plebem dicens, cum dignitate exponere non potest. Doctor tandem ipse non potest descendere ad sermonem plebeium, et vitiosum, nisi velit homines audiores in opinionem adducere, se ipsis non esse cultiorem, neque adeo habere, quae doceri, audiriue cum vtilitate possint.

§. 152. Alterum elocutionis popularis consilium est, vt placeatur populo. Placet autem elocutio, quae aures titillat, rebus exprimendis vitam quamdam, et lucem offundit, et quae sensus mouet. Et horum quidem primum sit concinnitate, et numero, alterum imaginibus rerum subtiliorum venustis deligendis, omninoque rebus apte ad vim, quam possint in sensus exercere, atque ad similitudinem, quae ipsis cum rebus sensibilibus intercedit, describendis, atque in vniuersum tropis; vltimum figuris, vi, atque impetu orationis.

§. 153. Sed et in hoc spectandum est, vt recte, et suo loco hoc dicendi genere vtatur orator popularis, cui simul consilium sit docendi. Recte vtetur ita, vt, qua numerum, vites periodos longiores, nimisque multis membris compositas, quippe quae plura simul inuoluant, nectantque, quam populus facile capere possit, et minime nostrum captui conuenient; quum vernacula lingua omnino a ratione periodica, saltem a periodis longioribus, magisque implicitis, sit alienior, et multo aptior contractis, breuibusque. Quare abstinentum potissimum est iis, in quibus plura incisa insunt, et fere plerisque, quae plurimum sunt, quam duorum, triumque membrorum.

§. 154. In comparationibus, tropis, figuris vitanda omnia vocabula populo ignota, imagines, atque exempla e rebus petita, quae aut omnino huius regionis, in qua versatur populus, non sunt, aut ab ea, qua imbutus est, disciplina, vitae, quo vtitur, genere, artibus, quas tractat, omnique eius experientia alienae: vt, si quis velit in locis planis exempla, imagines, et comparationes petere de montibus altis, rupibus asperis, iisque, quae in his eveniunt, in regione a mari remota

de re nautica, apud imperitos, et rudiores de doctorum hominum negotio, de cogitandi recte arte, et difficultate, de laetitia, quam hi ex veritate detecta, cognitione aucta, et talibus capiunt, aut de secretis naturae viribus, vt de re chemica.

§. 155. *Alieno loco elocutionis genus oratorium adhibebitur, quantum, et quamdiu vere docet orator, h. e. incognita populo exponit; ibi enim verbis maxime propriis, quae capiat populus, atque elocutione simplicissima opus est, ne minus, aut falso intelligantur proposita, h. e. ne imago pro re, illustrantia pro illustrandis, ornatus caussa adiecta pro capite rei accipiatur. Sed ubi, quae iam sunt docta, aut suo viu populo cognita, in minoriam reuocantur, illustrantur, applicantur, commendantur, ibi oratorio generi est locus.*

§. 156. Primum enim iam id ipsum, quod oratorium appellatur, docet, tale genus oratori conuenire. Dein placet tale genus auditoribus quibusque, nec minus, quam cultioribus, populo, qui totus a sensibus pendet, et queuis ex vehementia, qua concuriant sensus, et vestigiis, quae ipsis impressa relinquant, iudicat. Demulcentur numeri, imaginumque suauitate, excitantur orationis vi, atque impetu animi maximam in partem rudes, atque inertes. Tum veritatis ipsius cognitione imaginibus, exemplis, tropis haud raro clarior redditur, faciliorquez; quum plerique non possint subtiliora cogitare, nisi imagines quasdam a rebus corporeis ductas sibi effingant, quoniam recreetur sensibus, et imaginatione ita occupatis animus cogitandi intentione fatigatus. Tandem quum sit populus errorum, vitiorumque tenacissimus, quum regatur animi perturbationibus, et abripiatur; demonstratione sola, et tranquilla non satis mouetur; sed excutienda sunt eloquentiae vi, et impetu errores et virtutia, quorum falsitas, et turpitudo est demonstrata, animi perturbations, moribus aliis oratoria arte excitandis impugnanda funt, et vincendae, ad quod opus esse elocutione oratoria, sponte appetit.

Errata in emendandis aliis ab operis omisla:

Commentat. I. p. 9. §. 20. lin. 10. legas: conciliandae, tractandaeque. Comm. III.
p. 5. §. 113. lin. 8: Quum constar. ibid. p. 7. §. 117. lin. 3: Habita.
ibid. p. 11. §. 127. lin. 5: bos.

Wittenberg, Diss.; Ergbd. 8, 1797-1801




f


70-202

vol 18

86.



B.I.G.



1928.K 944

DE
DICENDI GENERE VERE POPVLARI QVO
ORATOREM CVI SIMVL DOCENDI CONSI-
LIVM SIT OPOREAT VTI
COMMENTATIO TERTIA

QVAM

PRO LOCO INTER ADIVNCTOS
FACVLTATIS PHILOSOPHICAE
RITE TVENDO
P R A E S E S
AVGVSTVS BASILIVS MANITIVS
PHILOS. DOCT. ET LL. AA. M

COLLOQVIO CVM ERVDITIS PVBLICO

A. D. III. OCT B R. C I C I C C L XXXXVIII
H. L. Q. CC

D E F E N D E T

S O C I O
IOANNE AVGVSTO ZEVNE
VITEMBERGENSI
PHILOS. DOCT. ET LL. AA. M

VITEMBERGAE
LITERIS TZ SCHIEDRICHII

1798

